

negare idem est, ac si dicerem, metalla quidem in terra latere, sed per virgulam divinam non indicari. Huc usque Risum teneatis amici, capite hæc bene: uti virgula divinatoria metalla indicat, sic accentus hieroglyphice mysteria revelant. Sed fere persuasus sum Frankium nescire quid sit sensus hieroglyphicus. Habebant Ægypti olim imagines, sub quibus sua dogmata hieroglyphice obcondebant, sed accentibus hebræorum sensum hieroglyphicum inesse nescivit orbis eruditus. Sed quia Frankius surgit, & mysteria Trinitatis in accentibus hieroglyphice depicta dicit, credendum est. Artifici enim in sua arte credendum. Res est clara, uti virgula divinatoria metalla indicat, sic accentus mysteria. Sed querelas audimus, virgulam divinam fallere frequenter. Non obstat, etiam sensus Frankii mystici frequenter fallunt. Sed ut evidentius cognoscamus ejus mysteria, quæ virgula accentuum divinatoria indicavit, exempla inspicienda sunt. Largam eorum messem suppeditat abyssus ejus mysteriorum p. 8. ubi hæc legimus: *Per Makkeph illud* יִרְרָ לְנוּ & נִתְנֶה לְנוּ *indicatur nostram Salutem a Christi nativitate non esse separandam. Per* — *Distinctivum, adeoque digniorem accentum h. l. indicatur hunc* בִּן *in se, & per se esse excellentioris originis & naturæ, quam ille* יִרְרָ. *Quod merito sic credimus, quia Deus nihil frustra facit, nec minimum punctum sine causa ponit. Videamus, quid veri vel falsi insit. Mysteria illa alibi revelata nullo modo negamus, sed ea per Makeph indicari non credimus. Makkeph est lineola, quæ commodioris lectionis gratia duas, tres, quatuorve minores voces conjungit, uti Grammatica docet, de sensu ejus hieroglyphico nihil hæcenus auditum. Sed inquis, fortasse Frankius rationes produxit, & rem declaravit? Neutiquam; ejus probatio est: hoc merito sic credimus, quia Deus nihil frustra fecit, nec nimium punctum sine causa ponit. Argumentum ejus ita pro sensu hieroglyphico erit: Si Deus nihil frustra facit, & nullum punctum sine causa ponit, sequitur, quod Makkeph h. l. hieroglyphice illud mysterium indicet. Atqui E. sed dubitatur de consequentia connexionis; alia enim causa ex Grammatica dari potest, quod nempe Makkeph tantum significet eas voces parvas in lectione esse conjungendas. Si quæ-*

ras